

eique donat ut eam vitam agat in bonis operibus, et voluntarie cavendo omne grave peccatum, hoc (inquam) donum dicimus et posse cadere sub aliquod meritum procedens ex priori gratia, et includere necessario liberam cooperationem, et ex hoc capite a libero arbitrio aliquo modo pendere, saltem ut a conditione sine qua non. Et huic dependentiæ non obstat quod perseverantia non nisi in morte consummetur, quæ mors non ex hominis voluntate pendet; tum quia, sive parum, sive multum mors differatur, semper est necessarius ille bonus libertatis cum gratia usus ad perseverandum dicto modo, et tempore quo vita durat; tum etiam quia inde solum fit extrinsecum terminum perseverantiæ non pendere ex voluntate hominis, quod fatemur. Nec mirum est, quia licet in eo termino etiam perseveretur in gratia, jam tamen non est illa perseverantia viatoris, sed existentis jam in termino viæ. Hunc ergo terminum dico pertinere ad perseverantiam viæ terminative et negative, seu exclusive, quia usque ad illum fuit, ita tamen ut jam non sit, sed immediate ante fuerit.

Secundo, respondeo aliud esse loqui de ipsa perseverantia et donatione ejus, aliud de præparatione talis doni, ut tempore et modo a Deo præscripto donetur; donatio ergo ipsa et executio perseverantiæ includit aliquem libertatis usum, sine quo esse non potest, et contra hoc non procedit objectio facta, ut declaratum est. Præparatio autem hujus doni non supponit usum aliquem liberum voluntatis humanæ, neque ut præexistens, cum ille usus temporalis sit et præparatio æterna; neque ut futurus in absoluta præscientia, quia hæc etiam præscientia supponit ordine rationis illam præparationem. Est ergo ex sola Dei voluntate præparantis homini auxilia ad perseverandum tempore et modo opportuno; et hoc ad summum probat aliquo modo objectio facta. Nam, sicut Deus disponit et præparat mortem hominis electi, ut eo tempore et modo eveniat quo ad æternam salutem illi expedit, ita etiam disponit ut tanto et tali tempore vitæ in gratia perseveret, et pro eodem tempore præparat auxilia, quæ illum effectum efficacius consequantur, atque ita utraque præparatio gratuita est, positumque est in sola Dei voluntate quod illam habeat, necne. In effectu autem seu executione est differentia, quia mors evenit homini sine concursu voluntatis ejus; perseverantia autem in operibus et observatione mandatorum, non

sine libero concursu voluntatis ejus, et ideo quoad hanc partem donum perseverantiæ involvit cooperationem liberi arbitrii, ita ut sine illa in re ipsa esse non possit.

Ex his facilis est responsio ad objectionem propositam, quatenus ex Semipelagianorum errore ejusque apparenti concordia cum nostra sententia desumitur. Nam apud recte intelligentes et materiam hanc pura et sincera mente tractantes, nullum est commercium, nec vestigium ejus, nisi tantum in sonitu quarundam vocum, libertatis, gratiæ, dispositionis, aut necessitatis, meriti, et similium. Massilienses enim ponebant meritum perseverantiæ ex solis conatibus liberi arbitrii, absque gratia prævia, nisi nomine gratiæ ipsa natura et libertas voluntatis intelligatur, ut constat ex epistola Prosperi ad Augustinum. Nos autem nullum meritum ponimus absque prævia gratia supernaturali. Quod autem ex illa dari possit, omnino Catholicum est et Augustinianum, generatim loquendo de merito, quatenus comprehendit etiam meritum de congruo, ut ostensum est. Dico autem dari posse, quia non semper est necessarium ut antecedat aliquod perseverantiæ meritum, etiam ex gratia; nam potest Deus mere gratiis quibus vult illud conferre, et sæpissime id facit ad ostensionem gratiæ suæ, quod haud scio an sit Pelagianum admittere. Præterea Semipelagiani putabant in quibusdam desperationem, in aliis necessitatem introduci, nisi perseverantia posita sit aliquo modo, saltem quoad sui initium vel meritum, in puris conatibus ac viribus liberi arbitrii, et ita aiebant hoc donum pendere ex sola libertate suis tantum viribus operante, promerente, aut inchoante. Nos autem dicimus desperationem in multis introduci, nisi habere hoc donum sit aliquo modo in potestate eorum libera, non tamen nuda, sed præventa sufficienti gratia Dei, cui cooperari possit, si velit, cum adjuvante gratia, quæ unicuique præsto est, si ipse non desit gratiæ Dei. Unde valde dissimilis est ratiocinatio Semipelagianorum et nostra. Illi enim argumentabantur ab uno extremo ad aliud, relicto medio, ut ita dicam, seu ab amplo ad non amplum, ut aiunt summulistæ. Ex eo enim quod, ad tollendam desperationem, necessarium est hoc donum esse in potestate hominis, inferebant debere esse in potestate solius libertatis, relinquentes illum medium, scilicet, quod sit in potestate libertatis gratia præventæ et adjutæ, et ita ex dependentia ab usu libero, quod generale quid

est, inferebant dependentiam a nudo usu libertatis sine gratia, quæ est multo magis particularis, et non habet necessariam connexionem cum antecedente. Non ergo errabant in antecedente, quod evidenter admittit Concilium Tridentinum, session. sexta, capite decimo tertio, dum ait, non obstante necessitate doni perseverantiæ, posse unumquemque firmissimam spem in Dei auxilio ponere, quia Deus neminem deserit, qui ejus gratiæ non defuerit. Errabant ergo in illatione quam nos vitamus, et potius virtute in hunc modum argumentamur: Necessè est ut habere hoc donum sit aliquo modo in potestate justorum; ergo in libertate; at non est in pura et naturali libertate suis viribus operante; ergo est in libertate voluntatis sufficienti gratia præventæ, et adjuvandæ, si per eam non steterit.

Atque idem est de altero membro, scilicet, de necessitate quæ respectu aliorum introducit, nisi hoc donum detur cum aliqua dependentia a libero usu voluntatis eorum (sub dependentia comprehendendo omnem necessariam conditionem, vel concausam). Ex quo principio inferebant Pelagiani dependentiam hanc esse ab hoc usu liberi arbitrii mere naturali, absque adjutorio gratiæ. Errabant autem, non in illo principio, quod omnino verum et Catholicum est, ut constat ex doctrina ejusdem Concilii Tridentini, capit. quinto, et canone quarto, ubi ad libertatem requirit ut voluntas possit resistere omni prævenienti gratiæ; atque adeo omni antecedenti causæ; ergo vult servandam semper esse aliquam dependentiam ab influxu liberi arbitrii, id est indifferentis, et in utrumque potentis, ut non introducat necessitas simpliciter libertatem impediens, quam Anselmus vocavit antecedentem necessitatem repugnantem libertati. Idemque expresse docuit Concilium Senonens., in decretis fidei, capite decimo quinto. Errarunt ergo Pelagiani, ut reliquiæ eorum, in hac illatione, eodem modo quo in priori; nam ex dependentia ab usu libero, ut sic, inferebant dependentiam ab usu libero præveniente omnem gratiam et per solas naturales vires exercito; et prætermittabant usum liberum subsequentem ad unam gratiam, scilicet, excitantem, et concomitantem aliam, scilicet adjuvantem; et sine ullo fundamento aut necessitate transiebant ab uno extremo ad aliud, et ita veritatem gratiæ destruebant, quæ,posito illo medio vero et Catholico, non destruitur, sed in suo legitimo gradu constituitur, et postulatur, et cum libertate arbitrii conciliatur,

Atque hinc obiter poterit lector intelligere (est enim hoc tempore observatione dignissimum) immerito solere adversarios nobis objicere, quod in hac materia eisdem argumentis utamur, quibus Pelagiani vel Semipelagiani utebantur; quia non advertunt vel certe dissimulant illationem fortasse interdum esse ex eodem principio, non tamen esse eandem, neque eodem tendere; et sæpe etiam principium apparere idem in sonitu verborum, re tamen vera esse diversum. Exemplum prioris partis clarum est in his quæ diximus; nam ex hoc principio: Nec necessitas nec desperatio introducenda est per donum perseverantiæ, inferebant dependentiam illius a nudo usu liberi arbitrii, cum tamen solum possit et debeat inferri necessitas liberi usus cum gratia, et ex gratia. Simile est quod ex hoc principio: Prædestinatio non debet inducere necessitatem, inferebant debere esse ex præscientia absoluta meritorum ex solis viribus liberi arbitrii; in quo dupliciter errabant; tum quia prædestinatio non potest esse nisi ex præscientia meritorum ex gratia et cum gratia, quo sensu illam consequentiam admittunt multi Theologi Catholici, sumendo prædestinationem pro sola voluntate efficaci dandi gloriam; tum etiam quia ex illo antecedenti ad summum inferri potest, etiam de meritis fundatis in gratia, necessitas præscientiæ conditionatæ, non absolutæ; quæ proinde sit non ut ex meritis fiat prædestinatio, sed ut per merita possit executioni mandari infallibiliter, et salva libertate; ad hoc enim necessarium est ut habeat Deus in sua præscientia talia media libera et certa. Multaque similia exempla afferri possent, hæc vero nunc sufficiunt ad refutanda vel contemnenda alia quæ insulse et inutiliter congessit quidam, nescio quis, in quodam scripto quod per manus multorum ambulat, ad enervanda nostra fundamenta, propter speciem quamdam similitudinis cum argumentis Pelagianorum; ille scriptor majori ratione cavere deberet, ne rationes et testimonia Augustini, quibus ipsi abutuntur ad suadendam necessitatem gratiæ prævenientis de se efficaci ac prædeterminantis physice voluntatem, coincidunt cum rationibus et testimoniis quibus Calvinus ad suum errorem suadendum utebatur. Sed fortasse ipsi non verebuntur hoc admittere; quia jam plene confitentur, et Romæ certo nobis constat, se convenire cum Calvino in modo ponendi efficacitatem gratiæ prævenientis, cui voluntas non possit resistere, sed ab illo differre in illa-

tionem, quia Calvinus intulit talem gratiam auferre libertatem, quam consequentiam ipsi non admittunt. Sed dum apertam Calvinii haeresim cavere merito student, non solum Catholicis omnibus qui contra Calvinum scripserunt, sed etiam Conciliis Senonens. et Tridentino contradicunt, quæ consequentiam illam optimam et necessariam existimarunt; ideo, ad tuendam libertatem, prævenientis gratiæ efficacitatem pernegarunt. Ideoque doctrinam Augustini in magnum discrimen adducunt, quando nos et universam Ecclesiam in eodem sensu illam intelligere cogunt quo Calvinus eam intellexit; sed de hoc argumentandi genere fortasse in fine hujus tractatus redibit sermo.

Venio jam ad canones Concilii Arausiacani, quæ sicut contra Semipelagianos facti sunt, ita ab istis contra nostram sententiam applicantur, cum tamen ex eis evidentissime colligere liceat et quo sensu Semipelagiani locuti sint et damnati, et ex eadem damnatione sententiam nostram confirmari, saltem a contrario sensu. Verba enim sexti canonis sunt hæc: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, etc., misericordiam dicit conferri, etc.* Ponderetur verbum illud, *sine gratia Dei*; intelligitur enim de vera et supernaturali gratia, saltem auxiliante, ut verba subjuncta declarant: *Non autem divinitus per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri constitetur.* Hoc ergo est quod asserebant Semipelagiani, quodque in eis damnatur, ut illis etiam verbis declaratur: *Aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium.* Humanam enim obedientiam vocat, quæ solis humanis viribus sine gratia fit. Damnatur autem Concilium illum errorem, dicens potius confitendum esse illa omnia, sicut oportet, ex gratia fieri, tacite insinuans, illis operibus ex gratia factis tribuere aliquo modo perseverantiam, vel per priorem gratiam posteriorem merendo, vel bonum usum libertatis cooperationi gratiæ conjungendo, et verum et catholicum esse. Quod etiam canone 9 satis insinuatur, nam cum dictum esset perseverantiam esse munus divinum, subjungitur: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum operatur.* Requirit ergo nostram cooperationem liberam, cui Deus cooperatur per adjuvantem gratiam, supposita præveniente, quam in nobis solus facit. Idemque in cæteris canonibus docet.

Superest ut ad Augustinum respondeamus, in quo nihil difficultatis habet quicquid con-

tra Semipelagianos directe disputat; impugnatur enim proprium illorum sensum, quo aliquid valere putabant liberum arbitrium suis viribus operans absque gratia ad perseverantiam vel promerendam, vel exequendam; non tamen negat Augustinus, imo aperte docet ex gratia prius recepta posse hominem mereri saltem impetratione perseverantiam in subsequenti tempore, eamque exequi per liberum arbitrium gratia Dei adjutum. Neque illa verba: *Potens est a malo in bonum flectere voluntatum, et dirigere in sibi placitum gressum,* difficilem habent intellectum, nam per vocationem congruam facile potest id Deus præstare, et in eam refert ubique Augustinus eundem effectum. Nec potest profecto tribui physici prædeterminationi, alias etiam posset Deus voluntatem flectere a bono in malum, nam eodem modo prædeterminationem illam. Item quia non est aliud flectere quam convertere voluntatem; convertit autem Deus voluntatem a malo in bonum, præveniendo illam per gratiam vocationis, inspirationis et illuminationis, ut docet Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. quinto; eodem ergo modo flectit voluntatem. Multoque apertius hoc declarat aliud verbum: *Dirigit gressus ejus,* nam dirigere idem est quod præire illuminando et inspirando, quod dum a Deo fit congruo modo et tempore opportuno, efficaciter fit. Unde neque illa distinctio duplicis gratiæ ad perseverandum, scilicet, sine qua non perseveratur, seu aliter, quæ dat posse perseverare, vel quæ dat ipsum perseverare; hæc (inquam) distinctio per se spectata difficultatem non habet, nam coincidit cum illa de auxilio sufficiente tantum ad perseverandum, vel efficaci, quod infallibiliter dat actu perseverare. Quæ divisio tam necessaria est in dono perseverantiæ, sicut in quolibet actu necessario ad salutem, ut omnia quæ hactenus diximus ostendunt; tamen, sicut in singulis actibus non datur illa distinctio propter physicam determinationem (imo cum illa non posset subsistere, quia si illa prædeterminatio esset necessaria, sine illa nullum esset auxilium sufficiens, et cum illa non esset auxilium ad libere operandum), ita prorsus respectu doni perseverantiæ dicendum est. Auxilium ergo sufficiens vocatur ab Augustino sine quo non perseveratur nec perseverari potest, nam illud dat posse perseverare. Est autem hoc verum posse, sicut illud auxilium vere est sufficiens, ideoque licet aliud actuale auxilium concomitans necessarium sit, ut

illa potestas reducat in actum perseverandi, tamen illi etiam offertur quantum est ex parte Dei, ideoque in libertate hominis positum est actu habere illud, si per ipsum non steterit. Auxilium vero efficax ad perseverandum vocatur ab Augustino auxilium cum quo perseveratur, utique infallibiliter in sensu composito, suppositione facta talis prævenientis auxilii; et ideo etiam denominatur dans non solum posse, sed etiam actu perseverare, quia ex divina intentione et decreto ad hoc datur, et frustrari non potest, quanquam id non faciat Deus necessitando, vel (quod perinde est) prædeterminando voluntatem humanam, sed suaviter juxta sapientiam suam et conditionatam præscientiam congrue ac opportune movendo.

Solum igitur in illis Augustini locis obscuritatem aliquam habet differentia illa, quam in hoc negotio perseverandi constituit inter statum innocentiam et naturæ lapsæ. Nam licet videatur posse ex dictis explicari, quia in illo statu solum dedit Deus naturæ humanæ auxilium sufficiens ad perseverandum, non vero efficax, et ideo dicitur dedisse Adamo auxilium sine quo perseverare non posset, non vero quo absolute perseveraret, quod tamen in statu naturæ lapsæ dat hominibus prædestinatis, nihilominus hæc explicatio non omnino evacuat difficultatem, ut in ea intellectus quiescat. Nam illam differentiam constitui potest in hoc statu naturæ lapsæ inter homines reprobos et prædestinatos, ut ex dictis manifestum est; ergo differentia illa non pertinet ad diversum statum naturæ, sed solum ad gratuitam Dei electionem et preparationem gratiæ efficacis, vel tantum sufficientis. Quod evidenter ostenditur in exemplo Angelorum, nam in illis omnibus natura illorum integra fuit ante lapsum, et nihilominus quibusdam solum dedit Deus auxilium sine quo perseverare non possent, aliis vero auxilium præparavit et dedit, quo absolute perseverarent. Neque enim putandum est, aut aliquem Angelorum sine auxilio gratiæ perseverare potuisse, ut eisdem locis Augustinus docet, maxime libro de Correctione et Grat., cap. undecimo, ubi addit quod si mali Angeli hoc adjutorio caruissent, eis non imputaretur lapsus; et sumitur a simili ex Concilio Arausiano, cap. decimo nono: aut aliquem ex aliis Angelis sine congruenti Dei auxilio perseverasse. Propter quod Augustinus, duodecimo de Civitate, capite decimo nono, ait Sanctos Angelos, *amplius adjutos* perseverasse. Illud enim

magis adjutorium non necessario positum fuit in majori (ut ita dicam) entitate vel perfectione auxilii, id enim necessarium non fuit, nam hoc modo majora dona gratiæ habuit Lucifer quam fortasse omnes alii; positum ergo fuit in majori congruitate et opportunitate, quam Deus non minus in Angelis præscivit quam in omnibus, nec minus in sua præscientia præparavit. Quod est ergo discrimen illud, quod non solum inter Adam et nos, sed etiam inter Angelos et homines lapsos Augustinus præterdit?

Unde valde etiam mihi obscura sunt multa alia verba quæ illis locis hac occasione scribit, alias simul insinuando differentias. Nam in lib. de Dono persev., cap. septimo, cum dixisset, ut non discedamus a Deo, impetrandum esse a Deo, subjungit: *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet.* Quæ differentia difficillima est: aut enim loquitur de viribus liberi arbitrii solis et sine gratia, et hoc modo etiam ante lapsum Adæ non fuit in viribus liberi arbitrii posse perseverare; si autem sit sermo de viribus liberi arbitrii cum gratia, etiam post lapsum est in potestate liberi arbitrii perseverare, ut ostendimus, alioqui non reciperent omnes homines in hoc statu auxilium sufficiens ad perseverandum. Loquitur autem Augustinus sine dubio in priori sensu, ut ostendat in hoc statu necessitatem gratiæ ad perseverandum, quam colligit ex illa oratione: *Ne nos inducas in tentationem,* quæ propositam difficultatem auget; quia etiam ante lapsum potuisset et debuisset Adam orare, ne in tentationem induci permitteretur. Neque huic difficultati satisficit per distinctionem gratiæ congruæ vel non congruæ, quia etiam ante lapsum erat necessaria gratia, saltem non congrua, ad posse perseverare; ad actu vero perseverandum gratia congrua erat prorsus necessaria; hoc autem ipsum in natura lapsa contingit. Quapropter obscura etiam est sententia quam proxime post dicta verba Augustinus subjungit dicens: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia, quantum valuerit, apparuit in Angelis qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, et ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissime scimus, pervenire meruerunt.* Quid, quæso, est quod ait in hoc effectu libertatem illius status apparuisse? Nonne multo magis apparuit efficacia divinæ gratiæ, qua illi Angeli amplius adjuti in veritate steterunt. Quod

si solum apparuit libertas voluntatis cooperantis cum gratia, non minus, imo fortasse magis apparet in justis perseverantibus in natura corrupta; nam licet voluntatem habeant in hoc statu pluribus difficultatibus implicatam, semper nihilominus retinet libertatem ad perseverandum in bono, cooperando gratiæ Dei. Aut enim Augustinus loquitur de libertate a servitute peccati, aut de libertate indifferentiæ, quæ necessitati et coactioni opponitur. Priori modo verum quidem est Sanctos Angelos semper fuisse liberos, hominem autem lapsum carere hac libertate filiorum Dei, donec justificetur; at in præsentiam illum justificatum supponimus, quando de potestate perseverandi tractamus. Quia justificatione supposita, non est minor hæc libertas a servitute peccati in homine lapso justificato, quam in Angelo creato in gratia; imo quodammodo est major, quia cum eadem gratia potest in illa perseverare, etiamsi plura impedimenta habeat quam habuit Angelus. Si autem sit sermo de libertate indifferentiæ, tam necessaria est homini lapso ad perseverandum sicut Angelo, quamvis in neutro sola sufficiat sine gratia, sicut neque gratia id facit sine cooperatione libera. Neque enim credendum est Augustinum credidisse effectum hunc in Angelis Sanctis fuisse liberum, in hominibus vero justis in statu naturæ lapsæ non esse liberum; id enim et veritati fidei repugnat, et doctrinæ ejusdem Augustini, tum aliis locis, tum illo eodem capite duodecimo de Correptione et gratia.

Præterea non minorem obscuritatem habent alia verba quæ, in eod. cap. septimo de *Dono persever.*, Augustinus subjungit, aliam differentiam insinuando: *Post casum* (inquit) *hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, nec nisi ad gratiam suam pertinere ut homo non recedat ab illo.* Quid est enim, non nisi ad gratiam, aut quid excludit illa particula non nisi? Aut enim excludit omnem liberi arbitrii cooperationem, vel in accedendo ad Deum, vel in non recedendo ab eo. Et sic falsum est hos effectus non esse nisi ex gratia, etiam post lapsum Adæ. Aut solum excludit meritum quod antecedit omnem gratiam vel præparationem ejus, et sic etiam ante lapsum, conversio Adæ et Angelorum ad Deum, et in Angelis Sanctis non recedere ab eo, non fuit nisi ex gratia.

Præterea difficillima sunt alia verba ejusdem Augustini, alio loco de Correptione et

gratia, ubi prius dicit Angelos Sanctos permansisse per liberum arbitrium, non tamen sine adjutorio gratiæ, sine quo perseverare non possent, quia si illo caruissent, eis non imputaretur. Statim vero subdit de hominibus in statu naturæ lapsæ: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum; et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum Nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi celimus, verum etiam tantum ac tale sit ut celimus.* In quibus verbis Augustinus significat hominibus lapsis, qui non perseverant, non dari etiam auxilium, sine quo perseverari non potest, quod datum fuit et Angelis malis, et primo homini ante lapsum. Quod aperte repugnat his quæ diximus, et est per se absurdum, alias nullis hominibus reprobis datur auxilium sufficiens ad perseverandum. Item non eis imputaretur non perseverare, sicut non imputaretur (teste eodem Augustino) Angelis vel primo homini, si caruissent auxilio sine quo perseverare non possent. Neque enim satisfacit differentia quam Augustinus insinuat, quod Angeli et primus homo in sua conditione nullam habebant culpam, nunc vero homines habent culpam originalem, ratione cujus imputatur eis carentia talis auxilii. Hoc (inquam) non satisfacit, quia, licet in his hominibus carentia illius auxilii potuerit esse pœna originalis culpæ, tamen inflicta semel tali pœna non posset homini imputari ad novam culpam quod non perseveraret, quia non esset in potestate ejus. Ut, si homini propter culpam eruerentur oculi, non posset ei postea imputari ad culpam quod non videret, etiamsi carentia oculorum priori culpæ ejus imputaretur.

Hæc et similia habet Augustinus in istis duobus locis, quæ sine dubio in se et per se spectata difficilia valde sunt. Eorumque difficultatem magis urgere et distinctius proponere volui quam ab adversariis fit, ne difficultatem subterfugere viderer, et ut ostendam difficultatem illam utrique sententiæ communem esse, quia nullo modo possunt per physicam determinationem loca illa conciliari, aut difficultates eorum expediri. Alioqui necesse est ut adversarii fateantur ex mente Augustini, neque Angelis, neque primo homini fuisse necessariam physicam prædeterminationem, ut converterentur in Deum, sed solam libertatem arbitrii bene utentis

gratia. Item, sanctos Angelos de facto perseverasse sine gratia physice prædeterminante voluntates eorum ad perseverandum; itemque primum hominem in sua libera voluntate habuisse perseverare si vellet, et non indignis prædeterminante auxilio, ut id vellet et cum effectu faceret; ac denique sequitur differentiam, ab Augustino intentam, esse quod in Angelis et hominibus ante lapsum, non fuit necessaria gratia efficax ad perseverandum, neque ad supernaturaliter volendum et operandum; in statu vero naturæ lapsæ esse necessariam; nam adversarii non putant esse gratiam efficacem nisi physice prædeterminantem, quam in hominibus lapsis requirit; in Angelis vero et Adamo non possunt dicere fuisse necessariam, juxta illam doctrinam Augustini sic intellectam. At hæc nec possunt dici consequenter in illa sententia, nec cum fundamento. Nam, si illud genus auxilii prædeterminantis nunc necessarium est, necessitas ejus non provenit ex peccato originali, sed ex subordinatione essentiali causæ secundæ ad primam, et ideo simile auxilium necessarium dicitur ad omnes actus cujuscumque ordinis; nulla autem voluntas creata, cujuscumque naturæ, vel in quocumque statu sit, potest carere hac subordinatione essentiali Dei, et ideo nec voluntas Beatorum, nec ipsamet humana voluntas Christi posset perseverare in bono sine physice prædeterminatione, si semel in aliquo necessaria existimatur ex illo fundamento. Idemque erit etiamsi non ex illo principio putetur necessaria, sed propter improportionem nostræ voluntatis ad supernaturales actus; nam eadem improportio fuit in voluntate Adæ et Angelorum juxta solas vires naturales ejus. Quod autem hæc improportio aliquo modo aucta sit in homine per lapsum originalem, propter repugnantiam et inordinationem potentiarum naturæ corruptæ, non satis fuisset ad inducendam necessitatem simpliciter illius prædeterminationis, si ex aliis principis per se non est necessaria; quia illa difficultas et non semper ac in singulis actibus occurrit, et aliis modis præveniri aut vinci potest, vel extrinsecus impediendo omnia quæ excitare possunt tales motus, vel cogitationes illam difficultatem inferentes, vel etiam intrinsecus juvando voluntatem, ut possit seipsam libere determinare ad supernaturalem actum, illam difficultatem superando.

Accedunt præterea gravissima incommoda,

quæ ex illa differentia sic explicata nascuntur. Primum est, Angelos sanctos conversos fuisse ad Deum et perseverasse in justitia sine gratia efficaci; quia (ut dixi) illi auctores nolunt esse gratiam efficacem, nisi illam quæ vi et efficacia intrinseca ac naturali prædeterminat voluntatem. Quod si alium genus gratiæ efficaci in Angelis admittant, enervant omnia quæ de gratia efficaci contra nos disputant. Quia quo modo posuerint in Angelis efficacem gratiam sine prædeterminatione physica, eodem aut simili nobis debent permittere, ut in hominibus efficacem gratiam explicemus sine prædeterminatione physica. Secundum inconueniens est, quia sequitur, juxta mentem Augustini, perseverantiam nullo modo esse relictam in libertate hominum prædestinatorum. Nam (præter argumenta generalia, quod prædeterminatio illa tollit libertatem) Augustinus dicit Angelos perseverasse per liberum arbitrium, quia perseverarunt sine prædeterminatione physica, quamvis non sine majoris gratiæ adjutorio; ergo si in natura lapsa necesse est ut addatur physica determinatio, jam nullo modo perseverabunt justis per liberum arbitrium gratia adjutum, sed per necessitatem et carentiam indifferentiæ quam illa determinatio inducit. Tertium inconueniens est, quia sequitur in natura lapsa omnes justos, qui non perseverant in gratia usque ad mortem, non habere auxilium sufficiens ad perseverandum, ac proinde deserere a Deo priusquam deseratur ab ipsis, solum propter originale peccatum in quo concepti fuerunt; quod quam sit falsum et contrarium doctrinæ catholicæ et Augustini, aliis locis ostensum est. Aliud etiam inconueniens afferri posset ad hominem (nam re ipsa non est inconueniens), nimirum in Angelis, cum æquali auxilio præveniente, vel etiam cum minori perseverasse sanctos Angelos, cadentibus aliis; quod in hominibus ab his auctoribus reputatur magnum inconueniens, et particulam quamdam Pelagiani erroris. Non apparet autem cur non habeat idem inconueniens in Angelis, cum error Pelagii, quantum attinet ad consecutionem gratiæ et supernaturalis finis, æque falsus sit applicatus ad Angelos et ad homines; vel, quod idem est, applicatus ad homines in statu innocentiae, vel naturæ lapsæ. Sequela autem patet, quia, seclusa gratia physice prædeterminante, dicti auctores non inveniunt differentiam vel inæqualitatem inter eum qui convertitur et non